



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

5. Fortunæ inconstantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

vindictam sive in hac vita, sive in gehenna infligendam. Unde S. August. lib. 5. de Civ. c. 9. In Dei voluntate summa potestas est, qui creatorum spirituum voluntates bonas *adjuvat*, malas *judicat*, omnes *ordinat*.

IV. (e) Mira superstitio veterum Romanorum in colenda Fortuna fuit; quibus alia Fortuna *Bona*, alia *Mala*, alia *Equestris*, alia *Bona Spei*, alia *Obsequens*, quam Servius Tullius ex Serva natus, Rex Romanorum, ad se in cubiculum per fenestram delabi iactabat: alia *Fortis* alia *Redux* sive respiciens, alia *Viscata* &c. nominabatur. *Virilis* etiam & *mascula* dicebatur, sive quod viros assignaret puellis, sive quod virili habitu collocaretur, & masculino nomine honoraretur. Demost. lib. 4. c. 4. De hac Lactantius lib. 3. diu. instit. c. 29. Fortuna est accidentium rerum subitus atque inopinatus eventus: verum Philosophi ne aliquando non errent, in re stulta volunt esse sapientes, qui Fortunæ sexum mutant, eamque non Deam, sicut vulgus, sed Deum esse dicunt. Fortunæ aurea domestica effigies in Principum aulis usurpata fuit, quam morituri ad alios transmittabant, teste Capitolino. Fortuna *Domestica* Severi Imp. ita filiis est relicta, ut alternis diebus in alterius cubiculo esset. Optimè fortunam expresserunt, qui eam vitream effinxerunt; quid enim eâ fragilius? Elegans recentioris Poëtæ epigramma est in effigiem Fortunæ, à Francisco Floro pictam:

Appellis ille, & æmulator Zeuxidis

Florus, superba nomen ingens Belgicæ,

Volubilem cum pingeret Fortis rotam,

Pinxit videntem, sed chiragricam Deam:

Videt sat, inquit, sed fatis dat nemini. Bahus: l. 2.

Idem aliud de eadem.

Non hæc inconstans, ut pictor imagine pingit,

Sed potius constans in levitate sua est.

Et alius.

Nulla mala est Fortuna, æqua omnibus, omnibus una

Spem dat pauperibus, divitibusque metum.

V. (f) Meritò Fortuna, hoc est, mortalium felicitas, ob inconstantiam suam volubili globo seu rotæ insistere fingitur. Verissimè Poëta:

O nulla longi temporis felicitas!

Nemo confidat nimium secundis.

Vidi cruentos carceri includi duces,

Et

(e) *Varia apud Romanos Fortuna nomina & munia.* (f) *Fortuna inconstantia.*

Et impotentis terga plebeja manu
Scindi tyranni.

Et alius:

Crassum Parthus habet, Libyeo jacet æquore Magnus,
Tertius (*) ingrata perfudit sanguine Romam.

Et quasi non posset tot tellus ferre sepulcra,
Divisit cineres. hos gloria reddit honores,

Certior hujus rei, ex diademate testis, de se ipso:

----- Dum excelsus steti

Nunquam pavere destiti, atque ipsum mei
Ferrum timere lateris.

Venenum in auro bibitur: expertus loquor:
Humi jacentem, scelera non intrant casam.

Hinc illa suspiria:

O nos dura sorte creatos!

Nemo tam Divos habuit faventes,

Crastinum ut posset sibi polliceri!

Fortuna, ut diximus, vitrea est; cum splendet, frangitur. Quis commemoret, quam & quot cruentos illa ludos in summis capitibus dederit. Ut taceam Reges & Cæsares, in quibus Valerianus Imp. à Sapore Rege Persarum captus, equum conscensuro pro scabello fuit. Eodem modo Bajazetes Turcarum Rex dorsum præbere debuit Tamerlani Scythæ, à quo ferrea inclusus cavea circumductus est omnibus ostentui & irrisui. Gilimer Wandalorum Rex à Belisario in extremas angustias redactus, Panem, spongiam, & Citharam sibi mitti rogavit. Panem sedandæ fami, spongiam tergendis lacrimis, citharam dolori. Ille ipse Belisarius utriusque fortunæ tam pugna, quam palma, post victorias de toto orbe non semel relatas, in obscurum carcerem detrusus, oculis effossis stipem rogare coactus est. Baroni. ad annum 561. De quo Poëta:

Hic ille Belisarius

Confossus à triumphis:

Castrense mendicabulum,

Mundique cæcus exul:

Bellator antè strenuus:

Nunc publicus Rogator.

Si vel scobem porrexeris,

Hac sportulâ beasti.

Ttt

Sic

(*) *Julius Caesar.*

Sic tractat mancipia sua Fortuna, quæ *Saladino*, Sultano Turcico, Christianorum olim terrori, post subactam ab eo Syriam, Ægyptum, & magnam partem Africae, nihil nisi indusium, seu interiorem tunicam reliquit; quam moriturus in hasta sublimem ferri iussit, & proclamari: *Hoc unum ex domito Oriente restat.* Gravissimus monitor Seneca: Neminem, inquit, eò Fortuna provexit, ut non tantum illi minaretur, quantum promiserat. Noli huic tranquillitati confidere; momentò mare evertitur; & ubi lufere navigia, forbentur. Solet Fortuna, quos plurimis beneficiis ornavit, ad durio rem casum reservare. Nimirum saginantur ad victimam pecora, sed & coronantur. Altiùs plerumque ruunt, qui sublimiùs ascenderunt. In proverbium abiit: *Dionysius Corinthi*; quò significatur, aliquem è summa dignitate atque imperio, ad privatam, humilèmq; fortunam redactum; quemadmodum Dionysio Syracusanorum tyranno contigit, qui pulsus imperiò, Corinthi pueros litteras ac musicam docuit. De Polycrate Samiorum tyranno Herodotus prodit lib. 3. cum summa frueretur felicitate, ab Amasi Ægyptiorum Rege monitus est, ut aliquo saltè, quamvis levi incommodo, tantam interrumperet fortunæ tranquillitatem. Annulum ergo in mare projecit, quem habebat charissimum, eiusque iactura vehementer dolere videbatur. Paulò post Piscator quidam captum piscem Polycrati dono obtulit, quò exenteratò, ille idem annulus in visceribus repertus est, quem Polycrates abjecerat, quasi non posset esse infortunatus. Sed nec illud ipsum quidem bonum omen fuit. Quare ibi tunc Amasis Polycrati amicitiam renuntiâsse dicitur, cum apertè deprehenderet, fortunam ad graviores casus eum reservare. Nec defuit eventus. Ab Orate enim Darii Regis præfecto, in summo Mycalensis montis jugo, cruci affixus est. Eò nempe usque Fortuna illum extulit, quæ à Comicis initiis orsa, in fine paratragœdiatur. Fronti nulla fides; si venit renidente vultu, cogita cum furore abituram. Si, cum aliis sava est, tibi parcit; suspectam habe clementiam; nam moræ usuram exiget. Demetrio Phalereo Athenarum Duci trecentæ statuæ sunt positæ; quid gloriosius? omnes sunt dejectæ, & in matulas conflatæ; quid ignominiosius? Hæc felicitatis mutatio superbiam domat, frenatque insolentiam. Sesostris Rex Ægyptiorum victoriis illustris, ut Paulus Diaconus refert de reb. Rom. lib. 17. currum aureum pretiosissimis gemmis ornatum sibi construxit: cui insidens à quatuor regibus devictis jugum subeuntibus se trahi passus est. Cum festo quodam die, regum unus, oculis conversis, continuò retrospiceret,

spiceret, rotæ volubilitatem intuens, Sesostrisque causam respectus percontaretur, respondisse fertur: Cum stupore admiror rotam sursum deorsum volui, ima attolli, sublimia deprimi. Sesostris ubi dictum intellexit, jugales illos à suo curru abjuxit. Idem de Soldano Turciæ Principe narratur à Cedreno, qui à Rege Franciæ Ludovico II. captus, eum toto biennio nunquam risisset, aliquando in cachinnum solutus, causamque rogatus, respondit, se aspectu currus, & rotarum, quarum aliæ partes in imum, aliæ in summum obverterentur risisse imaginem felicitatis humanæ, sibi que in mentem venisse, se ex summo factum infimum, posse iterum ex infimo summum fieri. His auditis Rex de suo quoque statu cogitans Soldanum judicans virum sapientem, liberè secum versari permisit. Id si cogitasset Adonibeceus tyrannus, qui, ut historia sacra Judic. 19. narrat. subactos bello regulos septuaginta summis non tantum manuum ac pedum articulis truncavit, sed etiam miserè deartuatos, tanquam canes sub mensam retrusit, solis epularum retrimentis, in famelicos rejectis; si inquam Fortunæ volubilitatem cogitasset, mitius cum devictis egisset, & in fortis exasperatæ manus non incidisset. Captus enim ab Hebræis, & supinus humi prostratus ac religatus, cultris immanibus concessus est, manuum, pedumque supremis digitis, lento supplicio, minutis atque mutilatis. Fortunæ reverenter habendæ Romani triumphantem Imperatorem admonuerunt, dum curru invehenti servum à tergo apponerent (Plinius lib. 28. c. 4. carnificem vocat) qui crebrè insurraret in aurem: *Respice post te, hominem te memento.* Lucio Senatori Romano cum Senatus propter celeberrimam de hoste victoriam reportatam amplissimum triumphum honorem decrevisset; triumphare ipse recusavit; statuam verò suam è cera factam triumphali curru imponit, & ardentem circumquaque ignem, cuius ipsa paulatim calore solvebatur. Nicol. Vernulæus orat. 21. Elegans Symbolum modestiæ in rebus prosperis non deponendæ. Seneca dictum est, *ut semper tutus sis, nunquam esto securus.* Quod cum alibi, tum maxime locum habet in fortunæ blandientis favoniis. Veteres *Gygis annulum* celebrabant, quem qui gestabat, omnia ei ad votum fluebant: sed Polycratis annulus monet, Fortunam circulatoricem esse per orbem, & in gyrum cum annulo verti, subitoque dilabi. Prudentius Adrianus Imp. qui annulo digitali inscripsit: *Illis gravis est fortuna, quibus repentina est.* Cicero de amicitia dicit: *Fortuna quem nimium fovet, stultum facit.* Rectè Philippus Macedo, qui ne felicitate nimium se efferret, ex pueris aulicis uni id muneris de-

mandavit, ut summo manè cubiculum ingressus pronuntiaret; *ἄφρονος, ὁ Φίλιππος, homo es Philippe.* Cuius rei occasionem fortasse dederat Archidamus Agesilai filius, qui cùm à Philippo post partam victoriam ad Cheroneam acerbis & minarum plenas litteras accepisset, huic respondit: Si metieris umbram tuam, Philippe haud quaquam illam reperies factam majorem, quàm erat ante victoriam. Idem Philippus fortè in Palæstra prolapsus, cùm surgens vidisset in pulvere corporis vestigium: Papè, inquit, ut minimam terræ partem naturâ sortiti, Orbem appetimus universum. At filij ambitioni etiam hic Circus fuit angustus. Cræsum Lydorum Regem ob divitias & potentiam nimium se efferentem monuit Solon Philosophus, Neminem ante cineres beatum dicendum, cùm instabilis sit felicitas, & instar Lunæ mutetur. Hinc ille:

Lusus fortunæ variatur imagine lunæ,

Crescit, decrescit, constans consistere nescit.

Jaçtatur vita fluctibus; antequam ingrediaris portum, potest tempestas intervenire. Quam Solonis sententiam verissimam esse, Cræsi calamitas postea declaravit. Victus enim à Cyro Persarum Rege, pyræque impositus, tandem salubre Solonis consilium agnovit, eiusque nomen sæpius inclamavit. Cyrus intellectò quem & cuius rei causa invocaret, & ipse humanæ vicissitudinis memor, Cræsum ab incendio liberavit, & inter amicos coluit. Sapuit Philippus, de quo dixi, cui cùm multa simul feliciter ac prosperè gesta essent nuntiata (nam eodem tempore vice-rat in Olympicis, & Parmenio Dardanenses prælio fuderat, & Olympias uxor masculum fœtum (Alexandrum) fuerat enixa; porrectis in calum manibus exclamavit: *O Fortuna pro tot, tantisque bonis, levi quopiam malo me affice*; unde rectè Aufonius:

Si Fortuna juvat, caveto tolli:

Si Fortuna tonat, caveto mergi.

VI. (f) Et hæc, quæ hucusque disseruimus de Fortuna, non aliò spectant, quàm ad divinam Providentiam. Salomon in Proverbiis c. 22. *Dives, inquit, & pauper obviaverunt sibi; utriusque operator est Dominus* Quasi dicat: Fieri potest, ut dives ab opibus descendat ad inopiam, & pauper ab inopia ascendat ad opes; in qua gyratione rotæ, videntur occurrere fortuitò, & pro lubitu Sortis omnia vertentis: cùm reverà Deus, rerum omnium supremus Dominus mutet illas vices, attenuet potentem, & erigat de pulvere pauperem. Divina Providentia est illa rerum humanarum Moderatrix & Domina, quæ omnia gubernat, molitur, impellit, perficit.

(f) *Providentia divina rerum omnium moderatrix.*